



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

4. De diuinatione per somnia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

aut intelligi quomodo humor dominans in corpore possit modificare speciem infixam phantasia: & deinde cum plures possint esse species in phantasia, diuersissima inter se rationis, quarum aliqua nunc excitantur in somno, aliqua alio tempore, non potest fieri ut ab humore illo oriatur, quod hæc species potius quam illa excitentur: quare aliud determinatiuum assignari debet, & vix assignari poterit aliquod, quod se solo non posset sufficere absque concursu humoris dominantis.

Contra primam pariem, etiam facit, quod dum dormimus, non sentiamus humorem illum dominantem per sensus externos tactus aut gustus; & quod somnia naturalia possint fieri in perfecto somno, in quo omnes potentie externæ ligentur, adeo vt nihil sentiant.

Deinde, quamuis sentirentur ille humor abundans, & transmitteret speciem sui in phantasia, non inde sequitur quod in ea excitari deberent aliæ similes species, & si deberent ex variis speciebus similibus, seu proportionem aliquam habentibus, non potius hæc, quam aliæ excitari deberent. *Denique* non solum excitantur in somniis huiusmodi species similes, sed aliqua aliæ dissimiles; vt patet experientia: ergo alia causa assignari debet præter humorem abundantem siue perceptum à sensu aliquo exteriori, siue non.

21. Itaque, quamuis experientia constet dari huiusmodi somnia naturalia iuxta affectionem corporis, existimo tamen incertum esse à qua causa proxima excitetur species ad illa requisita. Et idem censeo de somniis animalibus: nec enim ex ipsismet cogitationibus diurnis provenire possunt; nam potius ex illis similes omnino cogitationes provenire deberent, quam aliæ proportionem aliquam habentes, vt patet, & tamen in somniis animalibus non semper habentur cognitiones omnino similes, sed aliquando longè dissimiles, licet habeant aliquam proportionem. *Deinde* ex pluribus proportionem habentibus debet alia causa adesse, ob quam vnæ potius excitentur quam aliæ. Et rursus non semper quoties cogitamus vehementissime, & quidem data opera, de aliquibus rebus per totum diem aut partem eius, siue immediate ante somnum, siue paulo, siue longe ante, habemus talia somnia, aut vlla omnino: quomodo ergo possent ista somnia provenire à cognitionibus diurnis ac antecedentibus?

Proponunt propterea *idem Auctores* plura problemata ad somnia pertinentia: quorum solutionem ab ipsis datam facile esset refutare, si res tanti esset, & aliæ solutiones meliores occurrerent: quod aduerto, ne quis statim existimet sibi satisfactum, sed attendat cum reflexione, vt melius examinet veritatem.

QVÆSTIO IV.

De Divinatione per somnia.

22. **M**ulti olim in ea erant opinione, vt nullum esset somnium quod non portenderet aliquod futurum; & consequenter ex quo, si quis esset peritus in somnispiciâ, seu arte præsagiendi ex somniis futura, non posset colligere aliquod futurum, aut præteritum alias ignotum somnianti. *Alij* vero putaverunt, nullum somnium portendere ex se cum aliquo fundamento futurum quidpiam. *Alij* denique opinati sunt, aliqua somnia portendere aliquod futurum, vel præteritum; & alia non portendere.

Sed in primis, quamuis, vel omnia, vel aliqua somnia significant aliqua futura, si hoc non faciant directe ostendendo ipsamet futura, sed significando aliqua aliæ, quæ proportionem aliquam, vel coniunctionem cum eo, quod futurum est habent, sicut somnium illius, qui videbatur sibi in somno vidisse ouem pendens ex fascia, lecti significabat thesaurum auri argento circumfusi fuisse sub lecto; nihil prorsus certi posset quis expectare ex illis somniis quia nulla via certa haberi potest absque reuelatione, per quam quis possit cognoscere cum quo futuro somnium habeat connexionem; nam proportionem posset habere cum mille rebus, quæ possent esse futura;

quomodo, ergo poterit intellectus determinari ad cognoscendum quodnam ex pluribus sit futurum somnio denotatum? Quod si directe significarent illa, quæ essent futura, vt si quis somniaret esse reuera thesaurum sub lecto, quandoquidè experientia compertum sit sapissime nos somnare esse futura ac præterita, quæ verè non sunt futura, nec præterita nihil certi potest constare ex tali somnio ex eo, quod sit talis præcisè. Vnde vt cognoscatur quodnam somnium tale sit verum, & quodnam falsum, oportet haberi alia principia, quibus id cognoscatur, & certè assignari non possunt vlla, nisi Deus reuelauerit, vel Dæmon, quodnam sit somnium, quod est verum. Itaq; qui somnia huiusmodi habent, satis imprudentes se ostendunt, & imperitos dum ab aliis scire cupiunt, quid per illa portenditur; & longè consultius esset illa negligere, ac procedere in suis actionibus, non minus, quam si illa non succederent, nisi constaret ea esse à Deo immissa.

23. Si quis tamen somniaret directe aliquid secuturum, si talis, vel talis diligentia adhiberetur, vt somniaut Alexander Magnus radiculam quandam tali loco repentiandam, quæ Ptolemei familiaris sui mederer infirmitati; nec in experimeto faciendo quidpiam esset difficultatis aut inconuenientiæ, quandoquidem negari non possit quin aliquando somnia vera sint hominibus communicata, posset experiri vtrum ita esset, necne: sed si esset aliquid difficultatis, aut inconuenientiæ in faciendo periculo, longè consultius esset non procedere ad experientiam, sed negligere somnium, quandoquidem æquè certum sit plurima huiusmodi somnia esse falsa, ac vllū esse verū. Quod vltimum consilium maximè locum habet, quando non adesset casus aliquis desperatus, cui succurri posset per somnium, si esset verum, & nulla alia ratione, tunc enim posset somnium, sine imprudentia, etiam cum aliquo dispendio, ac difficultate periculum facere de veritate somni: vnde si quis esset in extrema necessitate moriendi à medicis omnibus derelictus, & aliquis somniaret, si daretur ipsi parum vini, v. g. cum succo talis, vel talis herbe, quæ non posset absq; difficultate aliqua inueniri, merito faceret quis periculum inquirendo talem herbam, & dādo potionem illam infirmo: at si non esset desperatus infirmus, & propinatio talis appareret medicis periculosa, potius esset acquiescendum medicis prohibentibus, quā credendum somnio: imo qui præferret tam somnium consilio medicorum, peccaret mortaliter, si damnum graue diceretur à medicis inferendum infirmo per illam potionem. Sed hæc consideratio de peccato mortali non est huius instituti.

24. *Id hic pro certo tenendum*, quod Deus & Angelus bonus possit causare in dormientibus somnia vera, & quod qui cognosceret sua somnia ab illis causari, posset esse certus de eorum veritate: sed nisi haberet aliquam viam cognoscendi quod à Deo aut Angelo bono essent communicata, præter ipsummet somnium, quamuis essent reuera à Deo aut Angelis bonis, perinde se deberet gerere circa illa somnia, ac si non essent ab ipsis producta. Vnde quibus Deus communicat aliqua talia in ordine ad vtilitatem aliquam, seu ad inducendum illos ad credendum illis ac ea proponenda aliis, tanquam vera, reuelat etiā ipsis aliquo modo se communicasse illa somnia, ille autem modus in expertis est omnino ignotus, & fortassis inexplicabilis ipsimet expertis, sicut cæco est incognita albedo, & videns nequit illam ipsi describere sic, vt ipse possit habere conceptum eius.

25. *Secundum etiam tenendum*, quod Diabolus omnium illorum futurorum, quæ ipse cognoscit, & quorum species habet dormientes, possit infundere somnia, mediante propositione specierum ad hoc conducentium. Sed prorsus imprudenter, ac male quis recurreret ad Dæmones ad cognoscendum quid portenderetur per somnium aliquod, aut an somnium esset verum, nec ne; non solum quatenus illicitum esset tale commercium particulare cum Dei, ac nostro inimico habere, quod ad moralem scientiam spectat, ac ad Theologiam, sed quia cum ipse sit pater mendaciorum, non posset aliquis cum vlla certitudine cognoscere, reuelaretne

Somnia indicata futurorum negligenda.

Quando quis posset periculum facere de veritate somni.

Somnia à Deo immissa sunt vera, sed negligenda nisi constet ea esse à Deo.

Somnia diabolica possunt esse vera, sed non sunt credenda.

Quomodo somnium posset significare futurum.

¶ ddd 3 verum,

verum, necne, & multis experientiis constat saepe ipsum ad se accedentes decessisse, nec potest aliquis dubitare quin quoties ille aliquid huiusmodi reuelaret, id faceret ad aliquem finem, qui vel accidentibus, vel aliis hominibus esset magis nociuus, quam proficeret illa reuelatio; nam alias certum est, quod ipse nihil reuelaret; vnde ex hoc etiam capite pessime ad ipsum fieret recursus.

26. *Tertio denique tenendum* est ex somniis illis; quæ oriuntur ex certa dispositione humorum; aut influxu aliquo cælesti, posse eos, qui saepe fecerunt experientiam ea de re, probabilem concipere coniecturam de aliquibus rebus futuris, vt de decremento vel incremento morbi, de mutatione temporis quoad pluuiam vel serenitatem: id quod patet non solum experientia medicorum & agricolarum, qui sapissime verum ferunt iudiciū de talibus effectibus; sed etiam ratione, quia cum illi effectus habent probabilem connexionem cum causa talium somniorum, qui cognoscit causam, facile cognoscere potest effectum, saltem coniecturaliter. Et dico coniecturaliter, non solum, quia connexio effectus talis cum tali causa non est tam necessaria, quin impediri posset per alias causas; sed etiam quia non potest certo cognosci quod causentur ab illis causis somnia illa; nam possent sine dubio causari à Dæmone ad malum finem, & speciatim ad decipiendum: & ab Angelo bono ad bonum; & possent etiam causari eo modo, quo somnia indifferentia causantur ex fortuita specierum excitatione. Ex quo patet his coniecturis non esse fidendum nisi cum magna cautela ac discretionem, præsertim cum res propterea suscipienda esset magni momenti, ac afferret detrimentum magnum si coniectura esset falsa.

Somnia de futuris disparatis negligenda.

27. *Somnia autem illa* ex quibus colliguntur aliqua futura, quæ non habent connexionem vllam ex natura rei cum causis somniorum, sunt prorsus contemnenda, & quauis aliquis videretur sibi sapissime expertus post talia somnia tales effectus secutos, tamen adhuc imprudenter fideret illis; tum quia si fecisset bene reflectionem, inueniret saepe etiam eos non successisse, & deinde quandoquidem non sit physica aliqua connexio, nec somniorum, nec causæ eius cum talibus effectibus, deberet dubitare, an illa somnia non essent causata à Dæmonibus, cum tales effectus essent secuturi, vt ea ratione causaret illam opinionem, quod somnia similia portenderent tales effectus, ac sic deciperent tandem etiam in re aliqua magni momenti: quod valde aduertendū esset iis, qui nimium sūt creduli huiusmodi somniis.

Q V Æ S T I O V.

De Respiratione.

Quid respiratio.

Respiratio, de qua hic agitur, consistit in alternatiua aeris attractione, seu inspiratione, & eiectione seu expiratione, quæ fit per motū locale pulmonis nunc dilatati, cum scilicet attrahitur aer, nunc contracti, cū eicitur instar folliū, per quos simili modo inspiratur & expiratur aer. Qui motus localis producit sine dubio vt à principio quo physico ab anima, & propterea vocatur motus vitalis. Sed cū anima brutorum sit diuisibilis, quaritur, à qua parte ipsius producatū iste motus, an à parte residente in ipsismet pulmonibus, vel ab ea, quæ est in alia aliqua corporis parte. Quæ etiam difficultas moueri posset de anima rationali indiuisibili, quæ sola reperitur in homine, & de aliis etiam animabus, si essent indiuisibiles, vt de perfectorum animantium animabus sentiunt Thomistæ, an scilicet principiet proxime illum motum vt informans pulmones, an vero vt informans aliquas alias partes. Si enim anima secundū quod informat pulmones, principiat istum motum; tum pulmones erunt causa effectiua totius motus, & consequenter respirationis; si vero principiat illum secundum quod informat cor, cor erit principium, & ita similiter de aliis partibus discurrendū.

Aqua parte anime diuisibilis producit, vt à principio quo.

Aliqui existimant principium istius motus esse cor, alij ipsos pulmones, alij musculum illum simplicem & rotundum qui separat cor & pulmones à iecore & liene, quem vocant diaphragma. Alij denique asserunt eum partim provenire à pulmonibus, partim à diaphragma-

te, vt risque cōcurrētibus effectiue & proxime, & partim etiam à corde; non quidem tanquam à principio proximo istius motus, sed quatenus est communis origo natui caloris, ac subministrat etiam sanguinem pulmonibus, quo incalescant.

29. *Quam sententiam complectuntur Conimbricenses*, & quantum ad cōcursum ipsorum pulmonum suaderetur, quia cum pulmones moueantur, & sint animati, nihil impedit quo minus vis illa saltem partialiter motiua ipsis adscribatur. Quod autem nō habeant virtutem totaliter motiuam, sed concurrat etiam diaphragma, colligitur coniecturaliter ex eo, & quod cessante ex latione aliqua diaphragmatis motu, impediatur statim motus pulmonum, & quod pulmones, etiam dum sanie tabescunt & expuuntur, adhuc moueantur. Quod vero non proueniat ille motus à corde tanquam à principio primo effectiue, suaderi potest ex eo, quod ad sint alie causæ sufficientes, nimirum ipsimet pulmones cum diaphragmate; nec sit vlla ratio vnde colligatur concursus ille cordis, præsertim cum pulmones non moueantur ad motum cordis, vt patet ex eo, quod non sit idem virtusque motus, quandoquidem vni respirationi plures motus cordis correspondere possunt, vt experientia compertum est. Quod denique proueniat etiam à corde modo illo supra specificato, patet, quia sine dubio calor & sanguis valde iuuare possunt ad illum motum; ergo potest prouenire à corde, vt principio sanguinis & caloris. Præterea, concurrat ad respirationem arteria respirationis, & fauces, tanquam instrumenta, sine quibus nequiret attrahi aut eici aer commode ad necessitatem viuientis. Quanta autem sit necessitas respirationis, inde apparet, quod ea ad certum tempus impedita pereant animantia, quæ habent vim respiratiuam vt patet experientia.

30. *Verum in illo motu*, id adhuc valde difficile est, cum non præsupponat cognitionem, sed proueniat à causa omnino naturali non minus quam calor ab igne, & motus grauium & leuium ab ipsismet, quomodo possit esse difformis & quoad vnam partem contrarius sibi quoad alteram, expansio enim illa pulmonum est contraria contractioni ipsius.

Quomodo ille motus sit difformis.

Ad hoc posset dici, quod attractio illa aeris, quæ fit per expansionem pulmonum, procedat effectiue à pulmonibus & diaphragmate, mediante virtute animæ tanquam principio quo, contractio vero fiat mediante grauitate naturali, quam haberent etiam si non adesset anima; & sic non procedunt duo motus contrarij ab eadem virtute, sed à diuersis, quod non est inconueniens.

An ille motus sit naturalis an liber.

Contra, quia sicut illa virtus attractiua superat grauitatem, eaque non obstante expandit pulmonem: ita etiam deberet ea non obstante conseruare illum expansum: & sicut grauitas in ordine ad descensum superat virtutem attractiuam, deberet initio impedire expansionem: ergo motus ille non fit illo modo.

Alio modo posset dici, quod ille motus, posset refundi in influxum aliquem cælestem, sicut fluxus & refluxus maris: sed tum non deberet ascribi virtuti motiue animæ, aut diaphragmatis, aut pulmonum.

Deinde mirabile est quomodo fieret in omni loco & tempore sub quacunque constellatione eodem modo semper. Præterea non deberet recurri ad influxum aliquem celestem absque aliqua causa.

Tertio posset dici, quod oriretur illa dilatatio & contractio ex calefactione continua orta ex corde & aere, supposita dispositione tali, vel tali diaphragmatis & pulmonum, sed tum etiam non deberet habere pro causa effectiua pulmones, aut diaphragma, sed potius cor, & aërem. Qui modus dicendi mihi satis placet.

31. *Quæritur hic*, an iste motus sit naturalis, an liber, seu spontaneus.

Respondent Conimbricenses, illum esse partim naturalem, partim spontaneum. Sed hac difficultas, cum distinctione soluenda est, & dicendum quod motus respirationis, qui prouenit ex imperio voluntatis aut appetitus mediante cognitione, sit spontaneus: motus vero, qui nō prouenit ex appetitu, aut voluntate, sit omnino simpliciter naturalis.